

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
ab Ad-||uentu vsque ad Festum Pascæ in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE S. IOANNIS EVANGELISTAE EVANGELium. Ioan. 21.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150424

suscipe spiritum meum: pro se persequentibus: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

Ecce hoc statim à natali Domini nobis ob oculos ponitur exemplum. Et eo modo nos quoque gratiarum donis utamur. Primo impeterritè & apertè confiteamur coram Mundo, nec pudeat nos Christi. Qui enim

Matth. 10

erubuerit Christum coram hominibus, hunc ipse etiam erubescet coram angelis Dei. Secundo, ut angelicum praeferamus aspectum, & quemadmodum Petrus docet:

1. Petr. 2.

bonam conuersationem habeamus inter gentes, ut qui detrectant de nobis, videant opera nostra bona, & glorificent patrem Deum, qui in cœlis est. Tertio, ut semper cœlum suspiciamus, & quæ sursum sunt quaeramus, ubi Christus sedet in dextera patris. Quarto, ut patientiam praestemus in tentationibus, & denique non tantum pro nobismetipsis, sed etiam pro inimicis & persequentibus nostris precemur. Hoc demum verè & rectè uti esset natalitij Dei. Deus & Dominus noster Iesus Christus gratiam suam & spiritum, fidem pariter, fortitudinem largiatur nobis, eaque omnia in nobis efficientia faciat, ut semper in omni tentatione perstantes, in fine vitæ nostræ cū Stephano dicamus confidenter: Domine Iesu, suscipe spiritum meum, Amen.

Coll. 3.

IN DIE S. IOANNIS

EVANGELISTAE EVANGE-

lium. Ioan. 21.

Dixit Iesus Petro: Sequere me. Conuersus autem Petrus vidit alium discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & in cœna supra pectus Domini recubuit, & dixit: Domine quis est qui te tradet? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine hic autem quid? Respondit Iesus. Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus:

Iesus:

fus: Quia non moritur, sed: Si eum volo manere donec venia, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimoniu perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimoniu eius.

EODEM FESTO EPI-

stola. Eccle. 15.

Qui timet Dominum, faciet bona, & qui continens est iustitia, apprehendet illam: & obuiabit illi quasi mater honorificata: & quasi mulier a virginitate suscipiet illum. Cibauit illu pane vitæ & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. Et firmabitur in illo & nõ flectetur, & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum præ proximis. Et in medio Ecclesiæ aperiet os eius, & implebit eum spiritu sapientiæ & intellectus, stola gloriæ induet eum. Iocunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illum.

PRIMVS SERMO,

Cur hæc tria S. Stephani Ioannis, & Innocentium festa statim à natali Domini celebrentur.

Hodiernus dies ordine à natali Dñi tertius est, nomine quidé à Ioanne appellatus, at in hoc verè solennis edicto, vt eo diutius deuotioni & meditationi immoraremur sanctæ illius & lætabundæ natalis Christi: quandoquidem oēs fateri cogimur, hei nimis cito in nobis fidei deuotionisq; deficere & absumi ignem, nisi assiduo vsu pijs & exhortationibus & exemplis foueatur. Sit licet semper festos dies agere, nulloq; nõ tempore externis orationi & cæremonijs inherere impossibile, exhortatio tamen ideo cessabit minimè, sic quemadmodum & in lege veteris Testamenti, quamnis semper offerre nunquam consueuerunt, singulari tamen edicto

Leuit. 6

edicto

edicto mandatum erat Leuitæ æternos ignes in tabernaculis fouerent, mane & vespere lignorum fomenta administrarent.

Apo. 18. Quis ergo vt iniquū vel poterit damnare, si Ecclesia qua potest industria & studio apud nos insitit, ne diuini in nobis amoris ignis penitus suffocetur & extingatur? Non quidem magni momenti res erat, illum Leuitæ fouerent ignem: potuisset enim extinctus nullo sumptu, facillè, citoque incendi rursus. At secus hic multo. Difficillimè enim & magno sudore semel deficiens aut extincta fides, charitas deuotioque incenditur. Id quod nimium, heu nimium verè nostra ætate videre est. Ita enim infernalis ille Draco flumine, quod contra Ecclesiam fœdissimo ore eructans euomit, omnem in eo ex hominibus mentibus pietatem extinxit, vt vix possit incendi rursus. Nec id mirum. Si quando enim ipse per se ignis deficit, manet tamè carbonēs & cinis, & sine magno labore incendi potest: at aqua in eum effusa nihil quo incendi queat remanet. Hinc ergo est, quod suis filiis sine intermissione causas & occasiones deuotionis subministrat Ecclesia, ne in totum pereat pietas. Huius verò in his natalitijs exemplum habemus. Vt enim dixi, hodie tertius ab illo dies est, nec tamen cessat illa eiusmodi res contradere nobis, quibus & augeri & conseruari potest pietas.

Luce. 1. Habent quidem nomina sua à Diuis Stephano, Ioanne, & Innocentibus isti dies: sed verè huic rei seruiunt, vt Christus, suæque in hunc orbem natiuitatis fructus agnoscantur rectius. Quid enim vel Stephanus, vel Ioannes, vel omnes illi sine Christo Innocentes? Vnde his tantæ pietatis gratia, nisi à Christo? Ille enim sanctum illud à quo, vt Angelus prædicauit, in humanum genus omnis defluit & emanat sanctitas. Quod ergo hos dies festos edixit Ecclesia statim à natali Domini celebrandos, sic factum intelligimus, quasi velit dicere: Benedictus qui venit in nomine Domini, & benedictum nomen sanctitatis eius, quoniam sanctum est, hoc est, ideo instituti sunt hi dies sacri vt laudetur & glorificetur ille, qui non modo per sese sanctus est, verum etiam alijs vt sanctitatem comunicaret huc descendit,

dit,

dit, id quod hi dies clarissimè indicant. Et hæc quidem de tribus hisce festis dictum sit.

Sed & præter hæc vnumquodq; singulare & priuatū quid habet, quod natali illi inseruit: id ergo breuiter indicandum est. Incipiam à minimo, hoc est, nominibus ipsis. Primum igitur festum nomen suū à Stephano habet, Secundum à Ioanne, Tertium ab innocentibus sortitur. Stephanus verò latine dicitur vel corona, vel coronatus: Ioannes verò, vel gratia, vel in quo est gratia, vel etiam gratus. Porro quid innocentia sit, nemo nō ignorat, Sed nunquid hæc nos nomina in Christum respicere docent? Nōne Christus in Apocalypsi loquitur: Esto fidelis vsq; in mortem, & dabo tibi coronā vitæ? Sic & de ipso scriptum est. Gratia & veritas per Iesum facta est. Tum etiam quod in sanguine suo à peccatis nos lauerit. Ecce igitur huius nos tria nomina commonefaciunt, Stephanus quidem coronæ, quam Christus se diligentibus promisit: Ioannes verò gratiæ quam hic à Deo suscepimus: Innocentes verò nobis in memoriam reuocant, acceptam in baptismate innocentiam & iustitiam. Sed nunquid non tibi omnia ad natalem Domini videntur pertinere? Certè Christus solus ille est, per quem in baptismatis lauacro mundamur, iustificamur, & innocentes reddimur, per quem postea omnis generis gratias acquirimus: per quem tandem in illo seculo æternæ vitæ coronam expectamus. Ecce quid nobis horum festorum nuda nomina insinuant.

Quod si porro & personas ipsas intueri libet, alia quæ que comperiemus ad natalem illum non parum facientia: vt, quod Stephanus, Ioannes & Innocentes inæquali quidem modo hunc mundum liquerint, omnes tamē in Christi regnum asciti sint. Stephanus quidem à perse quotorum manu lapidatus est, at volens mortem subiit. Ioannes in pace defunctus est, nihilominus passionis calicem & truculentæ mortis cum Christo amaritudinem paratus bibere. Sed Christus dicit: Sic eum volo manere donec veniam. Præter voluntatem suam occiduntur Innocentes, sed tamen propter Christum. Omnes ecce isti, inquit Bernardus, sancti sunt. Stephanus sanctus, Ioannes sanctus, Innocentes sancti sunt. Ideo etiam sequun-

Apoc. 2.

Ioan. 1.

Matth. 20

Ioan. 21.

quun-

quantur Natalem Christi. Verum enimvero triplex in his sanctitatis ostenditur differentia. Stephanus Martyr voluntate & opere, Ioannes Martyr voluntate tantum, Innocentes Martyres opere tantum, nondum voluntate præditi. Sed omnes calicem domini biberunt, omnes à Christo suscepti, omnes in regni illius ciues vocati sunt. Nunquid ergo non videtur tibi, sese magnifice saluatoris nostri in his omnibus ostenderit gratia? Videmus quod neminem quantumuis infirmum excludat. Quicumque venit ad me non eijciam foras. Exigit ille quidem in nobis & voluntatem & factum, vt in Euangelio dicit: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et: Qui vult me sequi, & non odit patrem suum, & matrem, & fratrem & sororem, insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et hoc quidem in Stephano insinuatur, qui non modo moriendum Christo voluntatem habuit, sed & ipsum factum, lapidatus propter eum. Et hic profectò Christianæ perfectionis supremus gradus est, vbi voluntas simul & factum coincidunt. Atque ideo in natalitijs Christi Stephanus præcedit Ioannem.

Verum enimvero vbi non datur eam operis & facti metam attingere, vt pro Christi nomine trucidetur & moriatur, Deus Opt. Max. paratam voluntatem facti loco suscipit. Hoc ergo in Ioanne docetur: hic quidem calicem Domini bibere cupiuit, & vbi CHRISTVS Petrum ad crucem vocat, dicens: Sequere me, indicans ipsum quoque crucifigendum: sponte sequitur Ioannes, paratus & crucifigi cum Petro, sed Christus dicit: Sic eum volo manere donec veniam. Consolamur ergo in Ioanne, quod non solum sanguinem suum pro Christi nomine effundentes, verum etiã licet nullum sufferentes mortis genus, in alijs tamen Christo seruiunt & ipsum sequuntur, in regni sui ius pertinere. Perfectius quidem illud est, eoque præit Stephanus. Sed hoc quoque Christo placuit, ideo Ioannes sequitur statim Stephanum. Vterque in Natalitijs Domini proponitur. Et quod maius quid est: In infantulis nostris, qui nullum vel intellectus vel voluntatis vsum habent, illud solum opus, quod in fide Ecclesiæ in baptismo acceperunt,

Ioan. 6.

Matt. 10.

Luc. 14.

Matt. 20.

Ioan. 21.

et. dicit

et. dicit

runt, suscipit Deus. Id quod in innocentibus signatur, quos in suum regnū nullo proprio ipsorum opere Christus suscepit. Hinc ergo lucet, opinor, denuo: quomodo hæc festa nos in Christum respicere doceat, & quod non sine longa præmeditatione in hanc septimanam instituta sunt. Sed & aliud quiddam in hoc ordine: quod Ioannes Stephanum sequitur, hic illum præcedit, descendendum restat: nempe quod Christus se hominibus alio atque alio minus magisque insinuat. In natiuitate sese pastoribus manifestauit: sed hi humanitatem & humilitatem viderunt tantum, Stephano sese in sua Deitate ostendit. Vidit enim eum in sublimi cœlo à dextris Patris stantem. In vtraque & humana & diuina natura patefit Ioanni, humilem in horto, sublimem in monte clarificatum: Ioannes, inquam, Christum vidit, vt leonem, affirmans verbum carnem factum, sed subdit: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à pa-
Ioan. 1.

tre. Et hæc quidem vera Christi agnitio est. Si enim videris eum tantum in humilitate, scandalum patieris: si in diuinitatis maiestate, præterrefactus timebis & fugies. Verum si & humilitatem & maiestatem contueris, nec ab humilitate scandalizaberis, sciens non modo hominem, sed & Deum esse: nec rursus ab eo fugies, credens quod etiam homo sit, non Deus tantum. Ecce, cur Ioannes postponatur Stephano. Iisdem ergo gradibus nobis etiam ascendendum est, vt Christi agnoscamus non tantum humilitatem, vt Pastores: non tantum maiestatem vt, Stephanus: sed vtranque naturam simul, vt Ioannes. Sic verè agnoscitur Christus, sic eius natalis rectè celebratur & completur. Et hucusq; de his factis in genere dictum est.

Nunc porro & de Ioanne quid priuatim dicendum mihi esset, sed eo modo: spero, quæ de ipso dici possunt omnibus aperta & nota sunt, vt putem superuacaneū latius quid velle differere. Laudatur à nomine, ab officio, & scriptis suis post se relictis. Magnum profecto nomen eius. Ioannes enim interpretatur gratus. Minime in illo fictitium. Apostolico muneri verbis & factis satisfecit, nec illo tempore præsentem tantum, verum etiam omnem posteritatem docuit, quibus nunc si-

dem,

dem, nunc charitatem inculcauit eo modo, vt de eo can-
tetur merito: In medio Ecclesiæ aperuit os suum & im-
pleuit eū Dominus Spiritu sapientiæ & intellectus: quin
& pane intellectus & vitæ cibauit illum, & aqua saluta-
ris sapientiæ potauit eum.

Neque tamen vllō hic sese per totum Euangelij sui
contextum alio dignatur nomine, nisi discipulum Chri-
sti. Sed & nomine & opere Christi fuit discipulus. Vo-
luntatem sui agnouit Domini, voluntatem sui fecit Do-
mini, voluntatem sui Domini confessus est, voluntatem
sui alios fideliter docuit Domini. At nunquid hæc om-
nia Christi natalitijs seruiunt? Vtinam hunc Ioannem
vtroq; intueremur oculo & cogitaremus. Vtinam om-
nes illi similes Christi essemus discipuli. Vtinam vel hu-
ius solius scripta cordibus nostris inscriberemus profe-
ctō salutarem celebrassemus natalem Domini.

SECUNDVS SERMO,

Eodem argumento occupatur.

DIxi hesternā die, quæ D. Stephani nomini sacra
fuit: quur factum sit, quod hac septimana, quæ re-
stet omnibus pijs solius Christi beneficijs cogitan-
dis adhiberetur, aliorum quoq; Sactorum festa plura ce-
lebrentur. Sed & Ecclesiam matrem nostram, ea calum-
nia liberare laboraui, quæ ipsi eiusmodi festorum die-
rum ratione imputatur & attribuitur, quasi à Christo ad
Sanctos nos detraheret, vti à minus sufficiente saluato-
re: quæ tamen minimè Ecclesiæ opinio aut voluntas vn-
quam est. Et hoc quidem ostendi & confirmaui illo ipso
quod quotidie Ecclesia canit, quod his festis nihil aliud
velit & quærat Ecclesia, quàm vt videamus omnes diuer-
sitate gratiarum per Christum allatarum, quo instituat
modo regnum suum in his terris, quos velit huius ciues
& domesticos.

Videmus in Mundi huius Imperijs, huc omnes reges
omnesq; potentes laborare, vt ex sua voluntate & bene-
placito instituantur omnia, atque in hoc quærant deli-
gantq; sibi cōformes & habiles seruulos. Et quur Chri-
stus quidquam, quod ad sui regni ornamentum, & decus
facere videretur prætermitteret? Aut qua ratione in eo
inordinatum quid sufferret? Multa Imperiū huius mūdi
officiū

officia tenet, & multos habeat ministros necesse est, qui
ijs officijs præsent: vt sunt, à consilijs, belli duces, opera-
rij, Præfecti, Iudices.

Eodem ferè modo Christus in suo regno per Spiritum suum varia gratiarum dona elargitus est, multos etiã familiars, numerosam familiam instituit. Quosdam dedit Apostolos, quosdam prophetas, alios Euangelistas, Pastores alios, nonnullos etiam doctores: & hæc omnia in ædificationem corporis sui mystici, quæ est Ecclesia. At verò inter vtrunque regnum hæc differentia. Nil mundus præter temporanea omnia, diuitias, honores, potentiam, voluptatem & perituram citò quietem, appetit. Ideoque summo studio exquirat Camillos & Catones, eiusmodi planè viros, qui vel ferro defendant, vel consilijs conferuent Rempublicam. At Christus nihil horum appetit, tantum quæ Spiritus sunt querit: ideoque nec Camillos nec Catones anxie conquirat, nec belli miratur peritiam, nec fandi eloquentiam. Meros Stephanos & Ioannes, hoc est, homines, qui pro se, quicq; mundi huius aduersitates perferant æquo animo, quique alios in veritatem & salutem possint inducere. Nam vibrare hastam, & gladio percutere, alios trucidare & occidere, nihil magni est: ipsæ enim feræ idem faciunt: sed contumeliam, persecutiones, Martyria, mortem deniq; ipsam perferre patienter, hoc laudis opus Deo placet, hos regni sui vult cõsortes. Melior est patiens forti, inquit Sapiens: & qui dominari potest affectibus suis maior est, quàm qui expugnat vrbes. Talis verò Stephanus fuit, qui in sua persecutione, non modo nullam impatientiæ significationem dedit, nullam iræ, sed etiam orauit pro inimicis suis. Sic nec laude magna dignum, artibus, prudentia, solertia, vel etiam eloquentia mundi regna, hoc est, pompas, potetiam, Tyrannidem, diuitias & id genus alia conferuare & augere. Id ipsum enim & mali possunt homines. Hoc verò laudis opus: sana doctrina & piæ vitæ Exemplo, Christi regni fines extendere, multosque homines Deo in salutem adducere. Actalis Ioannes erat.

1. Cor. 12.

Eph. 4.

Act. 7.

Quemadmodum igitur heri in Stephano, veram
virtutem & in omnis generis malis perferendis fortitur,
h din em

dinem considerauimus : ita hodie in Ioanne genuinum Dei spiritum & verum zelum Dei regno multos homines inferre cognoscimus. Et hæc quidem ratio, amborum memorias statim à natali Domini haberi. Summa utiq; Ecclesiæ voluptas est, omnes habere Stephanos & Ioannes. Atq; vtinam tales essemus. Vbiq; enim eiusmodi virorum magna in Ecclesia penuria est. Multa quidem de Christo prædicamus, de ipso summè gloriamur omnes: sed quid ille à nobis exigit, nemo cogitat. Inuenies verò multos, qui quantumlibet iniquissimam vitæ rationem instituentes, nihil obesse, tantum si credant, sibi persuadentes. Sed intuens hæc duo festa, secus multo inueniet. Imò si nihil in vtroque Stephano & Ioanne, quàm credere inueneris : hoc ipsum credere, ad salutem sufficere concedam. Quod si contrarium videris, quod non solum crediderint, sed quod in fide omni pietati studuerint (id quod verba ipsorum omnia, facta omnia, vita & mors satis indicant) Omnino tibi persuadeas aliud quiddam à te postulari, quàm quod dicas: Credo. Ecce igitur hoc modo hæc duo festa insinuant, non modo quid nobis præstiterit Christus, sed etiam quid à nobis exegerit. Atque ideo aliquanto diligentius hic noster Ioannes cogitandus est.

Et quidem eius fama omnibus Christianis est notissima : quod non solum nomen ipsius, verum etiam maior pars historię vitę eius Euāgelicis testificetur auctoritatibus, imò quod ipse eorum numero, qui conscripserunt Euangelia, non minimus : quin vel hac ratione facillè præcipuus, quod præter Euangelij contextum, etiā Epistolis Christi nomen euulgauerit. Sed hoc scire, ac Ioannem talem agnoscere sufficit neutiquam. Non enim in sciendo, sed in operando nostra res cōsistit. Breuiter ergo Ioannis vitæ cape historiam. Ante vocationem piscator, nullius reprehensione victum quæsiuit. Post vocationem verò discipulus & indefatigatus Christi sequutor: id quod eo liquet, quia vsque sub crucem sequutus erat Dominum. Post Domini ascensum Apostolum se præbuit. Post exortis hæresibus contra diuinam naturam in Christo, etiam Euangelista factus est. Postremo & Martyr factus, quod à Domitiano, in do-

lium

Ioan. 19.

lium olei feruentis plenum, pro sua in Christum fide impositus, tandem ab eodem in exilium missus, in Pathmos insulam profligatus est.

Hæc vitæ ipsius descriptio. Et hic denuo gradus quoddam veræ perfectionis videmus. Primus, iustum & inculpata vitæ coram mundo esse, quem etiam multi Iudæorum & Gentium populi gradum attigerunt, qui coram mundo honestam & irreprehensibilem vitam duxerunt, cuius apud Romanos historicos multa exempla sunt. Sed hic gradus nobis qui Christo initiati sumus, minime sufficit: imò si in hoc quieuerimus, haud absumiles Pharisæis, qui & ipsi sese coram multitudine iustificabant. Sed nec ipsis ad salutem satis erat, & Christus ait se recepisse mercedem suam. Ascendendum igitur altius. Est autem secundus gradus pietatis, iustum & irreprehensibilem apud Deum reputari, id quod per fidem in Christum præstatur. Sine hac enim nemo placere potest Deo: nec ullus coram Deo iustus, nisi cui remissæ sunt iniquitates. Id verò solum Christus præstat, ut qui mediator noster, & interpellator coram Deo, sed & reconciliatio pro peccatis nostris. Sed nec hoc ad salutem satis est.

Tertius gradus est, Christum fida mente sequi, eo plane modo, quem ipse præmonstrauit: Qui vult me sequi, Matth. 16 abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Et quemadmodum ipse Ioânes: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, ambulare. Et rursus ipse Christus: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Et iterum: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.

Quartus pietatis gradus est, alios quoque ad Deum perducere. Nō enim quærere debemus solum quod nostrum est, sed etiam quod aliorum hominum commodis feruit: quemadmodum Christus non suam, sed omnium nostrum salutem quæsitum aduenit. Sed & omnibus mandato Dei cunctis iura proximi imposita est.

Quintus pietatis gradus, est patientem & tolerantem esse in tentationibus, imò gaudere in tribulatione, ut Apostoli. Et quidem hic supremus omnia concludit & consummat, quando in fide nostra non tantum operamur

ramur quod bonum est, verum etiā æquanimiter quod malum est sufferimus.

Hæc omnia in Ioanne videmus. Sed facili est videre, quàm nihil horum cogitemus. Mundo sumus scandalum, coram Deo & in conscientijs impij, in sequela Christi pigri, in propria salute negligentes, in alios incogitantes, in persecutionibus pusillanimes & impatientes, nihilominus tamen de Christianismo nostro gloriantes. Eò igitur diligentius hunc Ioannem contueamur. Satis vbiq; Euangelium eius quid de fide in Christum sentierit, tum & satis Epistolæ eius indicant, quid de charitate & Christiana vita. Sed vita eius pariter & mors, quod illa non modo sciuerit, verum etiā opere compleuerit, testatur. In hoc enim consistit Christiana perfectio, vt cum sciamus voluntatē Domini nostri Iesu Christi, tum opere etiam impleamus. Precemur ergo vagientem infantulum, imò Christum regem nostrum, vt nobis suam gratiam largiatur quo hæc omnia meditemur sedulò, faciamus semper.

TERTIVS SERMO,

Collatio natalis Domini &

Ioannis.

IN hac præsentī festiuitate nō absurdè videmus, quàm inuito animo Ecclesia à Natalitijs cesseret solennijs, quando iam in tertium vsque hunc diem ab externis operibus quiescit, haud alia ratione, quàm vt S. Petrus ait in clarificatione Christi: Domine, inquit, bonum est nos hic esse. Cupiuisset enim cum ea voluptate semper ibi morari. Et, inquam, ipsa, non alia ratione huic contraria Ecclesia in his solennijs perstat, quòd tantum consolationis, tantum lætitiæ & gaudij hic apud præsepe Domini comperit: eoq; non parua cum voluptate videret filios secum suos ibi morari & pedem figere. Nam vbi verè agnoscitur Christi gratia & maiestas: vbi verè gratiæ verbum mentes imbuit hominum: mirandum non erit, si homo externorum omnium oblitus, his tantum occupetur. Nec vllum in nobis tam enorme vitium, quàm quod nunquam verè audiuius vel vidimus Christum: hoc est nunquam plenè magnitudinem donorum & promissionum Christi considerauimus.

Math. 17

mus. Si enim considerassemus, nullo tædio, quinetiam cum volupate aliqua ijs rebus diutius occuparemur.

Atque ideo quid nam sit, quod tanto nobis studio his diebus proponitur, cogitandum est diligentius: nam eò dirigitur omne, vt gaudium quod ex Domini natali concepimus, agnoscat melius, & permaneat in nobis diutius. Habetur quidem ipse Ioannes hodie in memoria, & non immerito: quia inter Apostolorum primos numeratus, atque ita in Ecclesiæ negotio laborauit, & docendo & viuendo, vt merito æternū apud omnes Christianos celebretur. Sed tamen in illo nihil nisi ipsum Christum miratur & quærit Ecclesia. Omnia enim hæc festa, vt alibi etiam me dixisse memini, nihil aliud sunt, quàm testimonia & confirmationes, quod Christus in hunc mundum è cælo hominum causa delapsus venerit homo factus. Tum etiam exempla sunt & incitamenta, qua ratione erga tam amicum & beneficium seruatorem grati esse debemus. Quæ duo semper sunt cogitanda simul.

Iam verò vtrunque in Ioanne deprehendimus. Primum enim, vnus omnium Euangelistarum iucundissimè nobis incarnationem verbi denūciauit. Totum eius Euangelij contextum à capite ad calcem vsque perlege, nihil ita magnificum, quàm omnibus oblatam Christi gratiam inuenies. In Ioanne, inquā, videmus manifestissimè, quod totum se nobis donauerit Christus. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suū daret vnigenitum. Ioan. 3. Nobis Christus natus, nobis vixit, & omnem suam nobis impendit vitā. Nobis mortuus est, hoc est, pro peccatorum nostrorum solutione & reconciliatione oblatus est. Omnium enim nostrum peccata Deus posuit super eum, vt Isaias loquitur. Et Petrus: Christus pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autē spiritu. Nobis resurrexit, id est, propter nostram iustificationem. Nobis à dextris Dei sedet, vt interpellat pro nobis, & in cōspectu Dei appareat. Et quid porro Scriptura? Dilectus meus mihi, & ego illi. Verus amor in nullam declinat partē. Si Christus se ipsum nobis tradidit, & nos ipsos tradamus ipsi. Si ille nos prior dilexit,

h 3 dili-

diligamus & nos ipsum. Proponitur ergo omnibus Io-
annēs exemplum, vt qui vtrunque & verbis docuerit &
opere. In Euāgelio suo pāssim docet, quomodo nos de-
beamus illi per fidem: in Epistola verō, quomodo hoc
ipsum per charitatem pręstemus. Quod verō vtrobiq;
verbis scriptisq; docuit: vita moribusq; compleuit in
se ipso. In Christum credidit, Christum dilexit, Christū
semper in ore & corde habuit: Christo adhęsit, Chri-
stum sequutus est, Christum prędicauit, pro Christo
multa pertulit: in Christo deniq; obdormiuit. Ecce hoc
ipsum dicitur: Dilectus meus mihi & ego illi. Idipsum
& natiuitas Domini ā nobis exigit. Minime, ō frater, suf-
ficat quod Christus se nobis impendit: illi respondeamus
oportet, nec semel tātum, sed omni tempore. Ideo-
q; & Paulus ait: Christus pro omnibus mortuus est,
vt qui viuunt, non sibi, sed Deo viuant.

- Summa: hic est ille discipulus qui testimonium per-
hibet de his omnibus. Verbum caro factum est, inquit
Ioan. 1. Ioannes, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnge-
niti ā patre, plenum gratia & veritate. Hoc ergo Christi
natalem tangit, hoc de fide dictum est. Idem Ioannes a-
libi dicit: Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus al-
terutrum diligere. Et iterum: Diligamus Deum, quo-
niam ille prior dilexit nos. Hoc vitam tangit, & verum
gratię vsum notat. Erat lux illa, lux vera, inquit idem,
Ioan. 1. quę illuminat omnem hominem venientem in hunc
mundum. Hic rursū tibi fides, & Christi natalis gra-
1. Ioan. 3. tia insinuatur. Videte qualē charitatem dedit nobis De-
us, quod filij Dei nominamur & simus: sed nondum ap-
paruit quid erimus. Scimus autem quoniam cum appa-
ruerit ille, similes ei erimus, quoniam videbimus eum
sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem sanctificat se,
sicut & ille sanctus est. Ecce hoc rursū vitam tangit, ve-
rumq; vsum gratię docet. Similiter & illud fidem,
gratiam, & natalem Domini tangit, quod statim initio
1. Ioan. 1. Epistolę dicit: Quod fuit ab initio, quod audiuimus,
quod vidimus oculis, & manus nostrę contrectaue-
runt de verbo vitę, & vita manifestata est: & vidimus
& testamur & annunciamus vobis vitam æternam, quę
erat apud patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus &

audiuimus, annunciamus vobis, vt gaudeatis & gaudium vestrum plenum sit. Mox addit: Hæc scribo vobis, vt non peccetis. Et: In hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius seruamus. Hoc rursus vitam & vsum gratiæ tangit. Et quidem eius generis multa ex eius scriptis testimonia adferre liceret, vbi per spicuum, huc se sua scripta direxisse omnia, vt ex Natali Christi, boni & ingenui enascantur Christiani: & eo magis pietas & deuotio diuinarum rerum in nobis augeantur, quo rectius Christi multijuga gratia agnoscitur. Atque hæc causa Ioannes præcipue hæc septimana proponitur, quod tam perspicue Christi gratiam prædicauit, insuper etiã tam clarè gratiæ vsum demonstrauit.

Alia ratio est, quod tam manifestè gratia isthæc ipsa in eo luceat. Nam præter communem in omnes homines effusam gratiam, nemo inter reliquos omnes Apostolos est, cui maiora & euidentiora suæ dilectionis signa exhibuerit, quàm huic ipso Ioanni. Verum quidem est, quod Christus suos, quos in mundo habuit in finem **Ioan. 13.** dilexit, & omnes pariter: sed nihilominus eò Ioannes hoc nominis obtinuit priuilegium, vt solus is dicatur, quem dilexit Iesus. Nec id nudū sine re nomē. Ipso factō ostenditur. Quotiescunque enim aliquid singularis gratiæ Christus suis exhiberet, hic semper eius fuit **Matth. 10** coram participes. Elegerat Apostolos duodecim: horū numero Ioannes nō infimus. Inter duodecim hos, duos fecit Euangelistas: horū vnus Ioannes est. Clarificatus **Matt. 17.** est Christus coram aliquot suis: & hic Ioannes. Insuper solus supra pectus Domini in cœna recubuit. Quando **Ioan. 13.** igitur ita apertè Christi in Ioanne perspicitur & gratia & dilectio: mirū non est, eius quoq; statim à natali Christi memoriam celebrari, imò quod vel vltimo penè loco ponitur anni. Nam qui non ab hoc Christi dona & beneficia agnoscere didicerit, ex nullo alio facile discet. Nemo enim tam clarè, tam dilucidè de his scripsit, vt ille. Id quod Euangelium ipsius testatur. Quicumque ergo per hunc ad fidem non fuerit perductus, à nemine perducetur: nemo enim perinde graphicè depingit fidem, quid sit, quid efficiat, atque ille ipse. Quodcumque natum est ex deo vincit Mundum: & hæc

1. Ioan. 5. est victoria qua vincimus mundum, fides nostra. Quia est autem qui vincit mundum, nisi qui credit quod Iesus est filius Dei? Qui etiam denique per hunc Ioannem ad dilectionem Dei & proximi, postea etiam ad vite innocentiam non pertrahitur, nunquam eo pertrahetur ab aliquo. Et quid multa? Vnus hic Apostolus, totius Christi natalis nobis initium, medium descripsit & finem. Initium eius gratia Dei est: hanc in Euangelij contextu descripsit Ioannes. Medium vero vita innocens: hanc idem in Epistola depingit. Finis erit beatitudo iustorum: hanc in Apocalypsi praevidit. Beati, inquit, qui lauerunt stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vite, & per portas intrent ciuitatem.

Apo. 22. Ex hoc ergo quilibet facile considerabit, non sine causa Ioanni in ipsa hac hebdomada locum attributum esse. Habentes ergo tantum testem in conclusione Natalis festi, qui sua parte tam clare Christum, Dei gratiam, & fidem praedicat & tradit: ex alia vero parte tanto studio ad dilectionem ad quamlibet pietatem hortatur & inflammat: nos quoque nulla commodiore via haec festa concludemus, nisi vt cogitemus haec omnia, cum pastoribus in firma fide ad gratiae thronum properemus, cum D. Stephano & Ioanne acquisitam gratiam ad Dei Opt. Max. laudem, ad vtilitatem proximi, & ad nostram propriam salutem impendamus. Neque enim superfluum reputabimus, tot festa coniungi simul. Vtinam nostros natales dies cum Ioanne, hoc est, cum gratia finiremus. Vtinam eo modo quo Ioannes gratiam Dei praedicando magnificaremus, ea etiam suo exemplo vtceremur, in eadem succresceremus vt ipse, & vt ipse idem in finem vitae conseruaremus. Sic profecto per omnia huius temporis & natalis Christi satisfactum esset. Gratia Domini nostri Iesu Christi nobiscum, Amen.

QVARTVS SERMO,

In Euangelium.

PRaeedentibus sermonibus dictum est, haec duo festa, licet propria sua nomina, non a Christo, sed a Stephano & Ioanne habeant: proprie tamen in magnam illam natalis Domini solennitatem pertinere, nulla alia ratione in hanc septimanam instituta, quam vt eiusmodi

exem-

exemplis gratia & benignitas saluatoris nostri Christi reddatur magis perspicua, & vt hac occasione illi meditationi immoremur diutius. Atque ita fieri necesse est: hic scopus, in hunc finem, quicquid aliàs in Ecclesia peragitur, dirigendum est. Nunc porro hoc sermone videamus qua ratione Euangelia sibi istorum festorum inuicem respondeant, & veluti vnà in natalem directà sint. Id quod facile peruidebitur, si penitus aliquanto introspexerimus.

Primum enim in magna illa solennitate audiuius, quod Iesus Nazarens, regnante Augusto Imperatore, in Bethlehemi natus, iustus, atque aded mundi seruator vnicus, qui simul Deo honorem suum, nobis verò pacem retulit: pacem, inquam, conscientiarum, remissionem delictorum, & in sempiternum permanentem iustitiam, completionem, quæ passim per Prophetas vaticinata sunt, omnium. Hoc ergo primum propositum est nobis, & merito primum: fundamentum enim est, quod ante omnia in spiritali structura nostra ponendum est necessariò, cui & innitendum est. Sit ergo illud primum. Ad hæc illud considerandum est, quod licet talis seruator sit Christus, qui neminem cogat ad salutem: vehementer tamen indignatur, oblatam suam gratiam sperni & negligi. Ac quidem hæc de re hesternum Euangelium loquitur, in quo satis declarauit, quæ sibi mentis sententiâ in Iudæos, quod gratiam non modo per Prophetas, verumetiam per semetipsum oblata sibi præ omnibus mortalibus, impiissimè spreuerint. Neque verò hic vlla disputatione opus est, quandoquidem Scriptura vbique tanta de Christi benignitate prædicet, qui factum sit eam non ita multum in Iudæis elucere. Non hæc in Christo culpa est, sed in Iudæis vitium est. Noluisti, inquit. Quemadmodum si cui lumen admotum oculorum dolorem suscitaret, non luminis splendor, sed oculorum imbecillitas in causa est. Nihil enim corporalium rerum pulchrius lumine est.

Hoc ergo secundum, eorum quæ de Christo scienda sunt: quod gratiam suam nolit sperni. Sed nò hoc solum: Vult etiam ea rectè vtamur. Atque hic nostra res agitur, nò minus, imò magis, quàm superiori parte & maxi-

gñe his temporibus. Possemus fortè induci, vt suscipe-
remus oblatam gratiam. Quis enim tam stolidus, vt dan-
ti sibi multum reluctetur, si norit? Sed hoc omnibus in-
spidum, vt rectè vtamur acceptis donis. Hoc opus, hic
labor. Sed qua commodiore ratione ijs vtamur, quàm vt
secundum dantis voluntatem, & dignè pro cuiusque vo-
catione vtamur? Ecce hoc ipsum nos præsens docet
Euangelium.

Ioan. 21.

Videmus enim hic duorum exemplis Apstolorum
Petri & Ioannis non vnus omnes esse vocationis, & ta-
men quisque suæ respondeat necesse esse. Petro quidem
ardua ad metam properandum erat via, qui Christū non
solū vita, sed ipsa etiā morte sequi debuit, crucifigēdus
sicut & Christus. Sequere me, inquit Christus. Et paulo
antè: Cūm esses iunior, cingebas te, & ibas quocūque
volebas; cūm autem senueris alius cinget te, & ducet,
quò tu non vis. Hoc autem dixit, inquit Euangelista, si-
gnificans qua morte ipse clarificaturus esset Deum. Et
hæc quidem Petri vocatio. Ioānis mitior est: hic ita per-
mansurus, donec veniret Dominus: hoc est, tranquilla
morte indormiscere debuit. Suam vterque vocationem
placide suscipit. Surgit ab instanti Petrus, & vti iussus e-
rat sequitur dominum. Sed & Ioannes sequi paratus, spō
tè sequitur: sed huic aliud disposuerat Christus. Vt ergo
paratus cum Christo crucem pertulit Petrus, post eum
cruci affixus mortuus est: ita etiā paratus & sedulus Io-
annes, Deo, eiusque Ecclesiæ in tranquillitate ministra-
uit. Vtrobique, in amborum mente, plena & perfecta
propria voluntatis resignatio in Dei beneplacitum.

Psal. 107.

Hoc igitur est rectè vti gratia, vbi eum in se quisque
sentit animum qui cum Dauide dicat: Paratum cor meū
Deus: paratum cor meum. Et deinde etiam cum Paulo:

Act. 9.

Dominus quid vis me facere. Ac demum cum Christo

Matth. 26

ipso: Pater, non mea sed tua voluntas fiat.

Ecce quam ob causam hæc tria Euangelia aliud post
aliud ordinata sint: vt in primo, Christum verum & vni-
cum humani generis redemptorē agnoscamus: nō secū-
do, nolle ipsum ab vllō sua dona negligi: & in tertio,
necesse esse rectè vtamur per Christum acceptis donis
pro sua quisque vocatione. Hæc ergo tria si quis cōiun-
xerit,

erit,

zerit, simulque didicerit, totum plenè celebravit Natalè Domini, huic profuerit Christus. Qui verò vel vnū horum negligit, non ille totum peregit natalem. Hinc nec Christus proderit multum. Hoc ergo agamus: quod si lætitia afficeris, si te recreat tanta de Christo audire, noli hic persistere, perge deinde: noli contemnere vt Iudei, sed rectè vtire vt Petrus & Ioannes: sic tibi hæc festa cōmodè peracta sint. Et hæc quidem de tribus his Euangelij dicta sint.

Restat, vt de Ioanne etiam ex hodierno Euangelio audiamus aliquid. Hic de seipso præsentem lectionem scribit ita plane: vt rogare quis sit ipse, & quomodo eius nomini inscripta festiuitas nobis in his natalitijs commoderet, omnino superfluum sit Ille discipulus, quem diligebat Iesus, qui & in cœna supra pectus Domini re- Ioan. 13.
 buit: qui & testificatur de omnibus his, quæ vel fecit Iesus, vel passus est, vel docuit. Tria sunt profectò, quæ natalè Christi denuo nobis insinuant. Primū enim nos omnes charitatis admonet, qua motus Christus, nostram cœ- Apoc. 1.
 lo elapsus naturam assumpsit. Dilexit nos, & in sanguine suo à peccatis nostris lauit nos. Nihil eum cœlo descendere mouit, præter de parentis protoplasti fraude facta condolens, vt Fortunatus cecinit, in terras deuenit. Cuius te admoneat quandocunque audis Christi amorem in Ioannem peculiarem: hic enim amor in omnes dilectionis Dei signum est. Et hæc prima pars ad Christi natalem faciens. Videte qualem charitatem dedit nobis 1. Ioan. 3.
 Deus, vt filij Dei nominemur & simus. Sed vnde nobis tantum bonum, nisi à Christo? Nemo ex nobis Dei factus fuisset filius, nisi prius Christus hominis factus fuisset filius. Quemadmodū ergo dilectio ipsum hominis fecit filium, ita humanitas illius nos in Dei filios adoptauit. Ex alio aliud desinit, quorum omnium principium & origo charitas est.

Deinde etiam de Ioanne, quod in cœna supra pectus Domini requieuerit dicitur, id quod reciproca in Christo & Ioanne ostendit dilectionem, inter vtrunque gradientem, nec minus affectu discipulum Christo adhæsisse, quam capite suo pectus eius perhibetur attigisse. Id iam rursus nos cōmonefacit, qua dilectione, deuotio-

nis 3.

nisque vehemētia Christo adharendum sit: nihil enim aliās utilitatis adfert, Ioannem in cena supra pectus recubuisse domini. In nobis implendum idem est. Qui si Dei in Christo experti charitatem, nos reliquū exequamur necesse est. Diligamus Deum, inquit Ioannes, quoniam ille prior dilexit nos. Et hoc quidem secundū, quod ad natalem Christi pertinet.

Postremō illud quoque additur, quod Ioannes is fuerit, qui testificetur de his, quæ & fecerit & docuerit. Id quod rursus nos monet de gratijs agendis. Deo pro humili demissione, qua natus in mundum sese demisit. Nā & hoc ad natalem pertinet. Neque enim sufficit si in nobis ipsis magnificauerimus Dei dilectionem: si in vera fide, omnibus animæ potentijs Christo dederimus: exteris etiam laude & gratiarum actione, vita, moribus confirmandum & testificandum est, ut de quolibet nostrum dici possit: Hic est ille discipulus qui testimonium perhibuit. Hic populus, quem non solum Christus dilexit, qui etiam non modō ipsi in toto corde & fide adhæsit, sed etiam id ipsum verbis, factis, omniq̃ue vita testificatus est. Sic ritē Domini natalis peragitur, sic Christus verē in nobis nascitur. Sic & nos rectē ille populus, cui dicit: Audi popule me⁹, loquar: Ego dñs de⁹ tu⁹. His ergo dictis puto nō magno labore quilibet videbit, quomodo non solum Ioannes, verumetiam ipsum hoc Euangelium ad natalitia gaudia nobis seruiat. Hoc agendum, ut deinceps de his meditemur, his occupemur. Sic nos Deus Opt. Max. largiatur Natalem Christi his in terris celebrare, ut olim aliquando cum omnibus electis & angelis in cœlesti curia videamus, Amen.

QVINTVS SERMO.

OMni animanti à natura insitum est, ut quærant quæ naturalem vitam conseruent: quæ contra lædunt, fugiāt: id quod in minutis imis animaleculis videmus, sed & in nobismetipsis. Sed hominem Christianū non naturalem tantum, sed etiam spiritualem & superna naturalem vitam habere nouimus: imō præcipuē spiritūali vitæ creatus est. Sic enim Deus ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.

Non in hoc creati, ut hac tantum temporanea vita uiuamus,

uamus, verum etiam ut æterna fruamur. Nō ergo minori cura quæ ad spirituales vitam conseruandam faciunt quærenda, quam quæ in sustentationem naturalis conducunt. Hac causa tot festi in Ecclesia dies instituti, in quibus non modo S. Scriptura, verum etiam externa nobis proponuntur exempla, quæ omnia ad conseruationem spiritualis vitæ commodare possint.

Caue igitur, ne ea quæ sunt corporis cures tantū, ac verò rationem habere obliuiscaris. Nemo tā deses, qui non, si thesaurum quo reliquum vitæ tempus pro voluntate iucundam transigat exhibeas, exurgat. At nobis thesaurus & offertur & proponitur, cuius nulla in omnibus terræ diuitijs cōparatio est, qui inexhaustus est, quo nō modo hanc vitam pacificè conseruare, verum etiam futuram, in sempiternum permanentem, consequi possumus. Hic thesaurus S. Scriptura est, liber vitæ, vitæ continens verba, quibus cum indoctus doctior, tum pusillanimis redditur fortior. Id confirmandum ex hodierna lectione sumamus indicium, vbi & multimodam instructionem, exempla, & consolationem habemus.

Prīmū enim duplex nobis vita in eo per Petri & Ioānis personas describitur: operosam aliam, alteram verò meditatiuam, quam alij actiuam & contemplatiuam dicere. Vtraq; alibi in Martha & Maria significata, cū Martha occupatur externis, Domino ministrans: Maria sedens secus pedes domini, audit verbum eius. Petrus vocatur ad laborem, ad crucem, ad ærūnas, & ad mortem: Ioannes verò ut sic maneat, donec dominus veniat. Ad operosam vitam pertinet, quod Christus ait: Qui vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et quod in iudicii die dicturum se promittit: Esuriui & non dedistis mihi cibum: sitiui & non potastis me, &c. Ad meditationem verò, quod Petrus in elarificatione ait: Bonum est nos hic esse. Et quod Dauid: Melius est sperare in Deo & adherere illi. Ab operosa sumatur initium: quousque enim hic viuimus, operi insistendum est. Meditatiua porro finis sit, utpote quæ perseuerabit in æternum. Maria enim optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Hoc primum quod præsens offert Euangelium: duplex vocatio.

Sed

Luc. 10.

Ioan. 31.

Matth. 16

Matth. 25

Matt. 17.

Psal. 72.

Sed quia maxima parte in actiua consistendum nobis hic est, hoc etiam idem Euāgelium docet, quomodo recte ambulemus, quisque in sua vocatione, in ea. Aut enim Magistratus es, & plurimis præs, aut priuatam vitam ducis. Magistratus duplex: Spiritualis & Secularis (vt vocant.) Vtraque nobis opus est, quando & internū et externum hominem circumferimus. Ad internum Spiritus Magistratus pertinet. Et hæc potestas cuius Christus meminit: Sicut misit me pater, & ego mitto vos.

Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata,

Matth. 18 ta, remittuntur eis, &c. Et iterum: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in coelis, &c. De hoc

1. Cor. 13. & Paulus: Potestatem dedit mihi Dominus in extru-

1. Cor. 4. ctionem, non in destructionem. Et: Sic vos existimet homo, vt seruos Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quod ergo illius potestatis siue Magistratus officium? Sequere me, ait Christus Petro, quando iam tertio oues illi suas demandasset, atque pastorem Ecclesiæ constituit. Sequere me, intellige, in dilectione & in mortis genere. Hæc enim duo ante, licet obsecutus, significauerat illi. Diligis me: pasc agnos meos. Atque his quidem apertissime quid spiritualis potestas ab homine postulet significatum est. Pascere agnos meos. Quasi dicat: Non dominum sed pastorem te agnosce, cura & labor officium tuum est, non honos & pompa. Pascere oues non

Ioan. 21. deglubere tibi incūbit meas: sed tritico non paleis pascere. Bonam vbertate doctrinæ pascuam non pessundabis: sanā doctrinam mala conuersatione non reddes inutilem. Meas oues pascere in genere, sine personarum respectu: non vbi maximi prouentus respicies, sed vbi maius periculū imminet. Cogita oues esse, & facile posse seduci, ideoq; in eis patientiam habe. Cogita meritò te pascere, qui lac et lanam consumis ouium. Cogita meas esse oues, vt quas meo redemerim sanguine. His ergo quantum me diligis impendas. Meæ sunt, ideoque tua merces. Meæ sunt, ideoque de tuis manibus, quotquot ex ijs tua culpa perierint, requiram. Sequere me Petre.

Ezech. 34 Ego pastor bonus, qui meam pro meis ouibus deposui animam. Quemadmodū ego feci, sic tu quoque facias. Ecce hæc spirituali dicta Magistratui sunt.

Ioan. 10.

Sed

Sed

Sed & externo, quem secularem vocant, Magistratui
 Christ^{us} dicit: Sequere me. Quasi diceret: In forma Dei Philip.^{2.}
 cum essem, non superbiui, sed memet inter vos humilia
 ui seruulum. Cum mihi pro mea iustitia omnes vos per
 dere æquum erat, ecce primum gratiam meam & mise
 ricordiam offero. Contritis et corde compunctis, qui me
 querunt in defensionem veni, siue diuites illi sint, siue
 pauperes. Nihil alijs demandui, quod non ipse primum
 peregerim: sed & animam meam pro ouibus meis im
 pendi. Sic & tu fac. Ciuili Magistratui Christus ait: Se
 quere me. Eadem ipsa voce Christus omnes nos alloqui
 tur: Sequere me, vt pastorẽ ouis. Vocẽ meam audi, man
 data mea serua: nõ cur vel hoc vel illud demandarim in
 terroga. Ego intellectum dabo tibi & instruaui te. *Psal. 11.*

Ecce hac ratione nos vnica hæc vox omnes cuiuscun
 que conditionis docet. Quantum ergo doctrinæ ex hoc
 toto Euangelio hauriret, si quis singula examinaret ver
 ba, vt quod Petrus, diuino edicto certus mori, & cruci
 figi, atque certo modo Christum sequuturus, tanta cum
 diligentia quærit, quid de Ioanne futurum esset. Domi
 ne, inquit, hic autem quid? Quasi diceret: Agnosco tu
 am domine in me gratiam, qua non solum ad fidei con
 sortium, sed etiam ad mortis conformis sequelam me vo
 care dignaris, cuius profecto gratia summẽ lætor, & gau
 deo: hic autem quid? Visne & illum illud gratiæ fastigium
 conscendere? Atq; hoc modo isthæc Petri verba iusto
 rũ in tribulatione gaudiũ insinuare videtur. Gloriamur, *Rom. 5.*
 inquit Paulus, in tribulationibus nostris. Et: Vobis datũ *Philip. 1.*
 est pro Christo, non solum vt in eum credatis, verum
 etiam vt pro illo patiamini idẽ certamen habentes, qua
 le vidistis, & nunc auditis in me. Sic & Iacobushorta
 tur, vt omne gaudium existimemus, cum in varias tenta
 tiones incidimus. *Iacob. 1.*

In hanc ergo sententiam quidam illa Petri verba ex
 ponunt: vt intelligant Petrum, ijs mentis suæ lætitiã
 insinuasse, quod pro Christo esset crucifigendus, eundẽ
 que honorem fratri Ioanni optauisse. Id quod multo ali
 ter in nobis conspicitur: Nõ em nos in tribulationibus
 gloriamur, sed fugimus: gloriã & lætitiã in externis, nõ
 nunquam etiã in peccatis querimus. Atq; hinc huiusce
 modi

modi Diuorum exemplis licet videre, quantum distemus à vera pietate. Quod autem nullo responso Petrum dignatur Christus nisi quod ait: Sic eū volo manere donec veniam, quid ad te: tu me sequere. Nobis paraneſis data eſt, vt nimiam illam curam abijciamus, qua quidam in alios, ſui obliſi, reſpiciunt. Hic reſpondet Chriſtus: Quid ad te, in quod ego vel hunc illū me vocauerim: tu me ſequere. Iſthæc tua vocatio eſt. Quam præſtare omnibus iſthæc infideret ſententia penitus, ne tanta curioſitate de aliorum ſciſcitaremur rebus, ſed in nos ipſos oculos conuerteremus & animos. Non eſt veſtrum, inquit Chriſtus, noſſe tempora vel mometa quæ poſunt pater in ſua ipſius poteſtate. Ideoq; & Sapiens pulchrè monet & ſapienter: Altiora te ne quæſieris: & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. Ecce hoc modo ex hac lectione diſcere licebit, quod ad pietatē faciet plurimū. Sed hic cardo rei vertitur, vt in his operemur, eoq; modo in opereſa vita procedamus, quo tandem aliquādo in diuinę maiestatis contemplationem ſempiternam perueniamus, Amen.

SEXTVS SERMO.

Pſal. 64.

Beatus quem eligiſti, & aſſumpſiſti, inhabitabit in atrijs tuis. De Ioane, cuius hodie feſtum celebramus, ſuperfluū arbitror ſuſius, quis fuerit, enarrare: quandoquidem & depiſta eius laus eſt in Euangelijs, & ſua ipſius ſcripta Chriſtianum & planè pium animum eius teſtantur. Neque enim fallunt prouerbia: Ex abundantia cordis os loquitur. Et: Vbi theſaurus, ibi & cor tuū. Bonus homo de bono theſauro cordis expromit bona: & malus homo de malo theſauro proferat mala. D. Ioannes tantæ vbique pietatis, tam ignitis verbis vtitur, vt neſas ſit dubitare, diuini ignem amoris eius cor poſſediſſe. Et qui ita apertè, quis ſit, in proprio ſermone deprehenditur, hedera non eget aliena.

Matth. 12.
Luc. 6.

Ioan. 21.

Vnum tamen de eo quod ex ſuis ipſius ſcriptis enarrem habeo: nempe ipſus ille diſcipulus fuerit, quem dilexerit Chriſtus, qui & in cœna ſupra pectus recubuerit Domini, non tamen qua id ratione præ alijs ſit meritis, ſed quia planè nihil de ſuis meritis refert, non meriti hoc præmium, ſed meram fuiſſe teſtatur gratiam. Id quod

quod ex hodiernę dici Euangelica lectione hodie nobis cogitandum proponitur. Sūma profectò, Deoq; pergrata virtus est, acceptā confiteri cū humilitate gratiā. Trib⁹ ē numero discipulorū (vt legimus) Dñs permutauit nomina. Petrus autē dicebatur Simon, sed à Christo nomē vel Petri vel Cephæ accepit. Sed & duobus Zebedæi filiis immutauit nomina: vt filij tonitruī dicerētur. Atque hos eosdē Petrum, Iacobū, & Ioannē familiariores præter ceteros habēs, maioribus et secretioribus imbuīt mysterijs. Nā & Iairi filiolā à mortuis suscitās, & clarificat⁹ in monte, & præ angustia sanguineum sudās humorem, hos tantum tres testes habuit secum & comites. Et licet nullibi legatur quo id factō sint demeriti: nomina tamen eorū indicant clarissimē, quando Petrus Petra, Iacobus supplantator, Ioannes eū sonat, in quo est gratia. Quo quidem non absurdē significata tria hominū genera arbitror, quibus sua deus præcipuē reuelet arcana. Primū ij qui simul cū Petro fidē verbis factisq; profitētes, Christo lapidi insistant. Secūdo, qui assidua pugna contra Diabolū & peccata certant. Tertio, qui Dei confitentur gratiā. Id quod Ioannes noster præstat atq; ideo minime mirandū, quod eū Christus singulari ditauerit gratia, eo planē modo, vt non immerito de eo dicatur: Beatus quem elegisti & assumpisti, inhabitabit in atrijs tuis. Quanquā autē de quolibet piē Christiano id dicat Psal-
mista: propriē tamen huic nostro competit Apostolo.

Ioan. 1.

Marc. 3.

Math. 9.

Matt. 17.
& 26.

Psal. 64.

Psal. 143.

1. Cor. 4.

Tria autem ijsdē verbis Dauid insinuat. Primo, quę vera fœlicitas sit. Secundo, vnde sit. Tertio, qui ad eam gradus sint. Primo, fœlicitatem, hoc est, bene beateque viuere volūt omnes: sed pauci, qui rectē, quę sit illa, norint: quin & multis annis magno sudore hac de re disceptauerunt Philosophi. Ille mundi huius filijs beatus dicitur, cui omnium rerum suppetit copia, quemadmodū & Dauid: Beatum, inquit, dixerunt populum, cui hæc sunt. Sed falsū. Quicquid enim corporeis percipitur oculis temporaneum & transitorium est. Sed quę illa beatitudinis perfectio, quę breui finitur tēpore? Quin æterna sœpe & oculis subiecta corporeis, à vera fœlicitate hominem auocant, & in profundissimum damnationis æternę detrahunt barathrū: vt in Euangelico videre est
i epulo.

- epulone, qui rerum abundantia, luxu & voluptatibus
 Lucæ. 16. in sempiternos ignes demergitur. Ea que de causa lon-
 ge aliter de beatitudine Scriptura Sacra loquitur. Bea-
 Psal. 143. tus, illa inquit, cuius Dominus Deus eius. Et: Beatus
 Psal. 64. quē tu elegisti & assumpisti, ut in atrijs tuis habiter. So-
 lus Deus omnibus hominibus beatitudo summa est. Ne
 que ullam aliam præter semetipsum mercedem Abra-
 hamo promiserat. Ego, inquit, merces tua magna nimis.
 Gene. 15. Ille est qui desiderium hominum bonis replet, non ali-
 Psal. 102. quo tempore tantum, sed semper. Atque hæc causa,
 quod iam inde ab initio mundi, pij quique non ita ma-
 gni estimarunt temporanea, solum queritantes Deū. Sic
 Gen. 12. Abrahā relictis quæ possidebat omnibus, paternos exi-
 lares: arbitrabatur satis abunde factum sibi, quod habe-
 ret Dominum. Sic & nostri Apostoli, relictis omnibus,
 Ioan. 6. solum sequebantur Christum. Domine, inquiunt, quō
 ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Nec alio affectu Do-
 minum hic noster Ioannes ad crucem usque sequitur.
 Ecce quæ vera beatitudo sit audiuius: ipse Deus. Quā
 nec natura, nec pro meritis habemus felicitatem. Non
 Ephes. i. profectō Deus nos in eam per Christum elegit gratiam.
 Psal. 64. Beatus, inquit Psalmista, quem tu elegisti. Electio & præ-
 destinatio Dei, huius beatitudinis origo sunt: quæ hic in
 terris incipit, quando in tabernaculum suum nos Deus
 suscipit: crescit, quando nos in atrium suum intromittit:
 perficitur, quando in eternam Dei domum ingredimur.

Hæc enim quam modo viuimus vitam, comparatur
 tabernaculis. Ut enim admodum parum sub pellibus si-
 ue tentorijs bellorum gaudij est, plurimum verō & labo-
 ris & periculi, propter hostium incurfus: ut etiam tento-
 ria supra caput licet tegantur, fundamento tamen carent,
 ac sæpe mouentur loco: ita & piorum hic conditio est.
 sub pellibus habitant, semper timent hostem, nunquam
 securi. Latentur licet non nihil, quod protectorem Deū
 habeant, quod in magnam Ecclesiæ domum intromissi
 sint: tuti tamen per omnia nunquam sunt. At peracta
 huius vitæ fabula, in atrium intromittuntur Dei. Pro-
 ximum domui est atrium, portis & arce munitum, patens
 latitudine præter tentorij angustias, fundamentum ha-
 bens, nullo præter tectum caret. Sic & beatorum animæ
 post

post hanc vitam, sunt licet nondum plenè beatæ, requiescentibus in terra corporibus : propius tamen accedunt beatitudinem, sibi quæ dici percipiunt: Requiescant paululum, donec fratrum impleatur numerus. Tum & ab hostium securi incurfionibus, quibus nec mors nec dolor, hoc tantum deest, quod necdum beatitudo perfecta est, sed media : animabus fœlices, corpora nondum excitata expectantes. At ubi etiam corpora à somno surrexerint, tunc demum plena ac perfecta beatitudo est. Est ergo beatus quem in Ecclesiæ suæ tentoria Deus suscipit: beator quem in atria sua recipit : beatissimus verò, qui æternum domum Dei inhabitabit. Sed quod bonum in æternam Dei domum receptis maneat, Ioannes noster pulchrè in Apocalypsi refert, id quæ ex ipsius Dei persona. Qui vicerit, siue vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in medio paradisi. Et iterum: Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. Et: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & id in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Et: Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gētes, & reget eas virga ferrea, & tanquam vasa figuli confringentur.

Apoc. 5.

Apoc. 2.

Apoc. 3.

Et iterum : Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, & nomē meum nouum. Et: Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo. Et: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & confedi cum patre meo in throno eius. Hæc sunt bona, quibus abundat Dei domus, quibus in æternum satiantur electi. Gustare licet non saturari ijs bonis in hac vita. Gustauit Ioannes in hoc mundo: de ligno vitæ, qui est Christus, accepit. Columna in Ecclesia factus, in libro vitæ inscriptum nomē eius: memoria sempiterna coram Deo simul & hominibus memoratur. Beatus quē Deus eligit & assumit. Hæc ergo nos Deo viciniōres reddant, apud quem cuncta nobis manent bona.